



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. IV. Solvuntur Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

sapientioribus Ethnicis fuit persuasum, ut fusè al-
latis eorum dictis probat Theophil. Raynaudus
in *Theologia Naturali* dist. 7. q. 1. a. 1. Hinc famo-
sum illud dictum Aristotelis 12. *Metaphysicorum*
ultimo sub finem, ubi ait: *Entia nolunt male guber-*
nari: non est bona pluralitas principatum: unus er-
go princeps. ubi non de gubernatione regni, sed
universi loquitur. Hinc illud Pythagoræ dicen-
tis, quodd, si alter daretur DEUS, deberet sibi alte-
rum condere mundum, & in eo habitare.

134. Rationes etiam pro hac veritate, vel
ex immultiplicitate ultimi finis, vel entis summi,
ac perfectissimi, vel aliunde desumptas complu-
res videre est apud eundem Raynaudum *loc.*
cit. ego brevitas causâ unam solam adduco.
DEUS, utpote perfectissimus, debet esse liber-
rimus quoad gubernationem universi totius;
aliàs enim posset turbari, imò sæpe turbaretur
ordo bonæ gubernationis, si prudenter statuta
exequi non posset: ergo debet esse unus, prob.
conseq. Si essent duo, vel plures Dii, tunc vel unus
altero esset debilior, deberetque cedere, & non es-
set DEUS; quia imperfectus, & nullo modo omni-
potens: vel essent quoad omnia pares, & tunc
posset unus alterum impedire: quin imò uterque
à se invicem dependerent, adeoque imperfecti fo-
rent, & neuter omnipotens: facile etiam turbare-
tur, certè posset turbari ordo universi, dum posset
non convenire, atque probabilissimè etiam non
convenirent; quia non deberent, & liberi essent.
de qua re adhuc plura in objectionibus infra.
Hucusque allata prædicata DEI, atque etiam alia
clare definita habentur in Concilio Magno La-
teranensi sub Innocentio III. eaque definitio re-
fertur C. Firmiter de Summa Trinitate.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

135. **O**B. 1. Ut habet communis parâ-
mia, Bonum est, quod omnia
appetunt: atqui DEUM non
omnia appetunt; quia non omnia eum cogno-
scunt: ergo non est bonus, aut perfectus. Confirm.
1. Saltem non infinite appetitur: ergo non est in-
finite bonus. Confir. 2. Bonum est communi-
cativum sui: DEUS non est ita communicativus:
ergo, prob. mi. Ante creationem mundi se non
communicavit: ergo neque nunc se communi-
cat; quia est immutabilis. Confir. 3. Si DEUS est
bonus, tunc solus est bonus, ut dicitur *Marci* 10.
v. 18. ergo non est summum bonum; quia nul-
lum est bonum inferius. Resp. dist. ma. hoc est,
quidquid appetitur, est bonum. conc. ma. quid-
quid est bonum, appetitur ab omnibus. neg. ma.
& dist. proportionaliter mi. neg. conseq. in ea
propositione bonum est prædicatum, non subje-
ctum. Ad 1. confirm. om. ma. quia Deus à seipso
infinite suo modo appetitur, neg. conf. Ad 2. con-
firm. neg. mi. ad prob. neg. ant. quia se ab æter-
no communicavit ad intra communicatione per-
fectissima per identitatem. Dein om. ant. neg.
conseq. quia in tempore se communicat ad extra,
non per identitatem, sed vel per unionem cum na-
tura humana Christi, vel per productionem varia-
rum creaturarum sine omni mutatione; quia nullum
recipit motum. Ad 3. confirm. dist. ant. solus DEUS
est bonus à se, & per excellentiam, ac essentiam

suam. conc. ant. per participationem à DEO ac-
ceptam. neg. ant. & conseq.

136. **O**B. 2. DEUS est ens singulare, de-
terminatum, distinctum ab aliis: ergo est limita-
tum, & non infinitum. Confirm. 1. DEUS est prin-
cipium rerum omnium: sed principia seu semina
sunt imperfecta: ergo. Confirm. 2. DEUS non
est factus: ergo neque perfectus; quia perfectum
est omnino, & totaliter factum. Resp. neg. con-
seq. Eo ipso, quod sit ens exigens infinitas perfe-
ctiones, non est ens limitatum quoad perfectio-
nem, sed ad summum quoad numerum, quæ
tamen quasi limitatio est summa perfectio; quia
per eam excluditur omne ens æquale. Ad 1.
confirm. dist. mi. principia intrinseca materialia.
conc. mi. extrinseca, seu effectiva. neg. mi. saltem
universaliter sumptam, & neg. conseq. Ad 2.
confirmat. neg. conseq. perfectus enim in sensu
Theologico (quidquid sit de Grammaticali) signi-
ficat præditum perfectione, sive facta aut creata,
sive increata à se.

137. **O**B. 3. Si DEUS continet omnem
perfectionem possibilem, tunc præter DEUM nul-
la est alia possibilis: sed hoc est falsum: ergo. Con-
firm. 1. Si daretur corpus infinitum, non esset possi-
bile aliud corpus: ergo, si detur perfectio infinita,
nulla alia erit possibilis. Confir. 2. Infinitum est,
ex quo semper est aliquid accipere: sed non vi-
detur, quomodo ex Divinis perfectionibus sem-
per sit aliquid accipere: ergo. Resp. dist. ma. si
continet omnem formaliter quoad speciem, &
individuum. conc. mai. si tantum continet eminen-
ter. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. quia tamen
alia in specie, & individuo perfectio est possibi-
lis, quamvis hanc DEUS contineat eminen-
ter.

138. **A**d primam confirm. dist. ant. non esset
possibile absolute. neg. ant. naturaliter. om. ant.
& neg. conseq. Supernaturaliter possibilis est
penetratio corporum, adeoque præter corpus in-
finitum adhuc aliud, quod tamen cum illo debe-
ret supernaturaliter compenetrari: si tamen infi-
nitum impleat omnem locum possibilem, &
supposita possibilitate infiniti, unum infinitum non
posset esse majus altero, de quo litigant Philoso-
phi. Perfectiones autem non se mutuo exclu-
dunt loco. Ad 2. confirm. Illa definitio strictè
loquendo tantum convenit infinito divisibili in
numero, vel extensione; & infinitum aliàs dicitur,
quod superat omne finitum: sed om. ma. neg. mi.
quia saltem per conceptum semper est aliquid ac-
cipere; nunquam enim tot abstrahi possunt perfe-
ctiones ex DEO, quin plures restent abstrahenda.

139. **D**ices. Si DEUS non esset in omni loco
etiam in individuo, non esset inensus: ergo si non
haberet omnem perfectionem etiam in individuo,
non esset infinite perfectus. Resp. retorq. ar-
gum. ergo si non produceret omnem esse-
ctum, non esset omnipotens; quod est pror-
sus absurdum. In forma. neg. conseq. Immen-
sitas in suo conceptu dicit formalem præsentiam
in omni loco, in individuo etiam accepto: at
infinita perfectio non dicit formalem possessio-
nem cujuslibet perfectionis in individuo; sed
tantum possessionem cujuslibet eminenter talem:
sicut omnipotentia non dicit actualem produ-
ctionem, sed tantum potentiam.

140. **O**B. 4. Si DEUS esset infinite perfe-
ctus,

stus, tunc unum infinitum esset majus altero: hoc est impossibile: ergo. prob. ma. DEUS magis excedit hominem, quam Angelum: ergo infinitus excessus DEI super hominem esset major infinito excessu super Angelum: ergo. Confir. Creatura omnes deberent esse æquales in perfectione: hoc est falsum: ergo. prob. ma. omnes æqualiter distarent à perfectione Divina, scilicet infinite: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. magis excedit, si excessus denominativè sumatur. neg. ant. si excessus quidditivè sumatur. om. ant. propter paulò post dicenda, & dist. pariter primà, nego secundam consequentiam.

141. Excessus est relatio inæqualitatis, quæ consequenter quidditivè, seu concretivè sumpta involvit duos terminos, seu duas rationes fundandi, & in nostro casu perfectionem DEI, & perfectionem creaturæ. Excessus autem (inteligo activum) denominativè sumptus involvit tantum id, quod denominatur excedens, scilicet in nostro casu perfectionem DEI. Jam hæc, cum unica, & indivisibilis sit, non potest esse major se ipsa, adeoque excessus DEI denominativè sumptus super Angelum non est major excessu denominativè sumpto super hominem; cumque hic tantum excessus, seu perfectio DEI sit infinita, non sequitur unum infinitum esse majus altero. Sic etiam elephas in se ipso non est major, sive comparetur cum musca, sive cum bove. Quæri tamen adhuc potest, an, si addatur infinita perfectioni Divinæ perfectio Angeli supra muscam, complexum fiat majus, sed de hoc paulò post adhuc isto articulo.

142. Ad confirm. neg. ma. ad prob. dist. ant. hoc est, æqualis esset distantia ex parte DEI. conc. ant. ex parte creaturarum. neg. ant. & consequ. Sicut diximus excessum involvere duos terminos, ita & involvit distantia: imò hæc distantia, si bene consideretur, aliud non est quam excessus. Quamvis autem unus terminus semper maneat idem, si alter sit inæqualis, jam distantia est inæqualis: & consequenter etiam inæqualis perfectio: atqui in quibusdam creaturis est inæqualis utique essentia & æstimatio, e. g. in creatura insensibili respectu rationalis: ergo etiam perfectio.

143. Ob. 5. Perfectiones possibiles sunt inter se distinctæ, & oppositæ: ergo non possunt confluere in simplicissimum DEUM. Confirm. Si haberet DEUS eminenter omnes perfectiones creatas, tunc esset eminenter lignum, corpus, imò esset eminenter imperfectio, vel etiam peccatum, saltem in sententia eorum, qui dicunt formalem malitiam peccati stare in aliquo positivo: hæc sunt absurda: ergo. Resp. dist. ant. si sint perfectiones mixtæ. conc. ant. si sint simpliciter simplices, aut simpliciter tales. neg. ant. & sub eadem distinctione conc. vel neg. consequentiam. Scilicet ut diximus n. 126. perfectiones simplices DEUS habet formaliter, mixtas eminenter.

144. Ad confirm. resp. Sicut statim initio Summularum monentur Logici, ut præsertim coram rudibus non proferant absque distinctione, vel explicatione simpliciter hanc propositionem: *Non tantum DEUS est mendax*: licet in rigore summulistico possit esse vera; quia eam rudes in malo sensu acciperent; ita hic pariter monendi sunt

Theologi, ne proferant simpliciter propositiones in objectionem adductas; quia etiam istæ facile in malum sensum acciperentur, quasi DEUS esset reverà corpus aliquod, sed eminentius cæteris: vel esset peccatum supra alia eminens, quæ utique essent falsissima. dist. ergo mai. hoc est, haberet omnem perfectionem puram (seu demptis imperfectionibus) quæ reperitur in ligno, corpore, vel etiam actu malo. conc. mai. in alio sensu. neg. mai. & dist. sic mi. neg. conf.

145. Ob. 6. Etiam si Angelus e. g. possit producere cognitiones specie diversas syncategorematicè infinitas, tamen non est infinite perfectus: ergo etiam, quamvis DEUS possit producere creaturas syncategorematicè infinitas, non sequitur, quòd sit infinite perfectus. Resp. neg. consequ. Inprimis Angelus non potest cognitiones se solo producere, sed debet juvari ab objectis, seu speciebus, & DEO ipso concurrente, à quo insuper debet pro priori conservari: potest autem DEUS creaturas infinitas se solo producere. Secundo non potest Angelus producere cognitiones perfectiores, & perfectiores in infinitum; potest autem DEUS producere creaturas semper perfectiores, & perfectiores, & hæc perfectio est infinita; quia major omni finitâ, nec habens finem ullum continendi perfectiones. At illa perfectio Angeli neque in linea intellectivi est infinita; quia potest dari major adhuc finitâ; nam potest dari alius Angelus, potens producere cognitiones perfectiores, quam ille prior possit: qui tamen Angelus erit adhuc limitati intellectus; quia iterum poterit dari perfectior isto. Quòd autem causa, si conservetur, possit successivè producere infinitos effectus genericè tales, non arguit potentiam infinitam (nisi fiat miserabilis quæstio de voce contra communissimum sensum, & auctoritatem) nam omnibus causis, quæ ab omnibus finitâ potentia esse censentur, competit posse semper ulterius agere, si conserventur.

146. Ob. 7. Complexum ex DEO, & creatura est aliquid perfectius, quam solus DEUS: ergo hic non est infinite perfectus; quia potest dari aliquid perfectius. Resp. cum S. Thoma 1. 2. q. 34. a. 3. ad 2. item in 3. dist. 6. a. 3. ad 1. & aliis communissimè. neg. ant. si enim, ut habet S. Augustinus *serm. 38. de tempore sub medium. Tantis solus est Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater & Filius, & Spiritus Sanctus.* quanto magis tantus est solus DEUS, quam DEUS simul & homo. Ratio huius rei est; quia finitum additum infinito simpliciter tali, non facit illud melius; eò quòd infinitum simpliciter jam præcontineat eminenter omne bonum finitum, & quidem infinito excessu, adeoque additum finitum non facit illud magis æstimabile, quod significat strictè melius.

147. Dices. Totum est majus sua parte: ergo complexum Christus est majus solo DEO. Resp. nego suppositum, quòd DEUS sit pars huius complexi; pars enim significat aliquid complebile, perfectibile &c. quòd DEO non competit: unde non potest dici pars Christi, sed tantum terminus intrinsecus. Si replices: totum est majus suis terminis intrinsecis. Resp. dist. ill. est majus, hoc est, semper melius. neg. majus, hoc est, extensius, om. Certe aliqua tota pro-

constitutivis involvunt negationes, quæ non semper reddunt id melius. e. g. homo peccator, supposito præsertim, quod peccaverit pura omissione libera, non est quid melius, nec physice, quam solus homo. Secundò, si terminus intrinsecus unus sit infinitum simpliciter, non potest totum esse melius, quam ille terminus solus.

148. Dices 2. DEUS & creatura sunt pluribona, quam solus DEUS: ergo etiam sunt plus boni. Confirm. Complexum illud non est minus DEO, nec æquale: ergo est majus. Resp. neg. conseq. *Plus boni* significat majorem æstimabilitatem, *plura bona* significat tantum numerum, si ve plura subjecta bona. Aliqui admittunt DEUM, & creaturam esse plus boni *extensive*, seu ut alii loquuntur, *materialiter*, quamvis non *intensive*, seu *formaliter*. Sed Izquierdo, Gonet, & Quirós hunc modum loquendi, saltem si dicatur *extensive*, rejiciunt; quia, ajunt, *plus boni* non significat tantum pluralitatem numericam, sed majorem æstimabilitatem. Ad confirm. aliquid dicunt, complexum illud esse minus boni, ed quod creatura DEO adjungat imperfectionem; sed non video, cur minuatur bonitas DEI per additionem creaturæ, Dein, sicut Deus absorbet omnem bonitatem, ita eminenter compensat omnem defectum. Quare nego secundam partem antecedentis, & dico, quod sit quoad æstimabilitatem æquale.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones contra Corollaria.

149. Ob. 1. contra æternitatem DEI. *Æternitas* ex Boëtio de consol. Phil. prof. 6. lib. 5. est *interminabilis vita tota simul*, & perfecta possessio, vel duratio tota simul, & quoddam nunc stans: sed hæc non convenit DEO: ergo. prob. mi. DEUS in Scripturis dicitur fuisse, esse, & futurus esse: sic Apoc. 4. v. 8. dicitur: *Dominus DEUS omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Daniel. 7. v. 9. vocatur *Antiquus dierum*: ergo. Resp. neg. mi. ad prob. neg. conseq. Phrases illæ non significant successionem temporis in DEO, sed in creaturis coexistentibus; vel significant tantum, DEUM eminenter continere omnes differentias temporis; DEUS enim non existit in tempore, quod sit intrinseca mensura ejus durationis: neque propterea nunquam existit, sed semper, sine omni tamen durationis luccessione.

150. Unde illud Psal. 101. v. 28. de DEO: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* pulcherrimè exponit D. Augustinus l. 11. Confess. c. 13. *Anni tui nec eunt, nec veniunt; ... anni tui omnes simul stant; quoniam stant: nec euntes à venientibus excluduntur; quia non transeunt: isti autem nostri omnes erunt, cum omnes non erunt. Anni tui dies unus, & dies tuus non quotidie, sed hodie; quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque enim succedit hesternò. Hodiernus tuus æternitas, ideo coæternum genuisti, cui dixisti: Ego hodie genui te. Et S. Anselmus in Prologo c. 19. De æternitate tua nihil præterit, ut jam non sit: nec aliquid futurum est, quasi nondum sit: non ergo fuisti heri, aut eris cras: sed heri, & hodie, & cras es: imò non heri, nec hodie, nec cras: sed simpliciter es extra omne tempus.*

151. Dices 1. Ergo DEUS nunc est æternus,

& nunc semper existit. Resp. dist. illat. intelligendo *nunc temporis* creaturarum, ita ut per hoc nunc sit æternus. neg. illat. ita ut per *nunc æternitatis* suæ sit æternus, & semper existat. conc. Nec inferas: ergo non existit heri. Resp. enim neg. illat. cum enim æternitas ejus, eminenter contineat omnè tempus, & cuique coexistat, in hoc sensu communiter accepto dicitur DEUS heri existisse, quamvis non ita extiterit, ut ejus æternitas, ut ita dicam, hesternæ, non sit etiam hodie: scilicet in DEO non datur præteritum, sed tantum in creaturis coexistentibus, quibus quia comparamus frequenter æternitatem DEI, hinc sæpe de ea loquimur, sicut ferme de creaturis durantibus; quia aliter vix capimus.

152. Reverà autem colligit DEUS in unum indivisibile, perpetuo stans, & immutabile *nunc* modo quodam eminentissimo omnes suas perfectiones, cognitiones, volitiones, consilia, decreta, gaudia &c. quæ in creaturis sibi succedunt. Et sicut per indivisibilem immensitatem est hic, & illic, & isthic; sic per indivisibilem æternitatem est nunc, hodie, heri, & cras. Si quæras, quomodo ergo respectu DEI sint præterita, vel futura aliqua creaturæ? Resp. denominationem præteriti, vel futuri in creaturis provenire non à sola æternitate DEI semper stante, sed à successivis creaturarum durationibus, prius existentibus; & postea non amplius existentibus, vel primum exituris, & propter has etiam respectu DEI dici creaturas præteritas, vel futuras.

153. Dices 2. Ergo omnes creaturæ coexistunt toti æternitati: ergo sunt æternæ. Resp. dist. ant. coexistunt toti totaliter. neg. ant. partialiter. conc. ant. & neg. conseq. Licet qualibet creatura coexistat toti immensitati, non est ideo immensa: item, quamvis pes coexistat, & uniatur immediatè toti animæ rationali, non tamen existit ubique, ubi anima, e. g. non existit in capite, neque huic immediatè unitur. Neque sunt contradictoria, coexistere toti æternitati, & non totaliter, ut patet in exemplis immensitatis, & animæ modò allatis. Ratio etiam est; quia tantum significatur, coexistere toti æternitati durationem hodiernam Petri, & non crastinam; pro hoc tempore, & non pro alio; pro hoc instanti, non alio: coexistere illi tantum, & non amplius &c. quæ propositiones contradictoriæ non sunt; cum præsertim verificentur de durationibus creatis distinctis, quales sunt hodierna, & crastina, tamdiu durans, & amplius durans &c.

154. Ob. 2. contra immensitatem DEI. Scripturæ sæpe assignant DEO locum: sic Isa. 66. v. 1. *Cælum sedes mea*: ergo non est ubique. Confirm. Si esset DEUS immensus, non magis esset in cælo, quam in inferno: hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. conseq. Ratio patebit ex dicendis ad confirmationem, ad quam resp. dist. mai. non magis ratione immensitatis. conc. maj. ex alio capite. neg. mai. & dist. sic mi. neg. conseq. DEUS dicitur specialiter esse in loco: vel quia specialiter ibi operatur, & magis ostendit suam maiestatem, ac liberalitatem, ut in cælo: vel quia magis ibi colitur, ut in templo: vel magis amatur, ut in anima iusti: quia tamen hæc res multum pendet ex usu loquendi, etiam hic debet attendi. Sic, licet etiam sit in inferno per vindictam, non